

§. I. Bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum sunt triplicia.

73 Bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum sunt triplicis generis. Primis generis sunt ipsa met

§. II. Omnia hec triplicis generis bona gaudent immunitate Reali;

74 Suntque libera, immunia, & exempta ab omni iurisdictione laicali, atque ab oneribus, & exactionibus laicorum quorumcumque.

§. III. Immunitate vero personali gaudent omnes, & singuli Clerici &c.

Nomine Personarum Ecclesiasticarum, quæ gaudent immunitate personali, & quorum bona gaudent immunitate reali, veniunt. I. Omnes, & singuli Clerici

Secundò, nomine Personarum Ecclesiasticarum veniunt, & consequenter immunitate reali, & personali, gaudent etiam omnes Regulares, utriusque sexus, cuiuscunque religionis approbatæ, tam professi, quàm novitii, & novitiæ.

§. IV. Ita ut predictæ Ecclesie, personæ & causæ eisdem tangentes nequeant coram Iudice seculari conveniri, aut iudicari, & quod sint immunes ab omnibus exactionibus Laicorum.

I. Catholica veritas est, quòd causæ omnes spirituales, 77 sive nature, & institutione Divina ab omni secularium Principum potestate, & Iurisdictione penitus exemptæ, ac liberæ sint.

QUESTIO II.

De immunitate locali, seu jure Asyli.

SUMMARIUM.

- 81 Immunitas localis duos habet effectus.
82 Immunitas Asyli est jure humano, Civili, & Canonico introducta, non item naturali, nec divino.
83 Responderetur ad objectionem ex Concilio Tridentino adductam.
84 Jus Asyli competit Ecclesiis, Cemeteriis, Monasteriis, Hospitalibus, & omnibus locis religiosis;
85 Etiam Ecclesiis nondum consecratis, etiam pollutis, vel interdiciis, &c.
86 Item jus Asyli competit omnibus laicis Catholicis. An etiam Clericis &c.
87 Dummodo non commiserint delictum in Bulla Gregorii XIV. exceptum.
88 Hinc Asylis gaudent fures, adulteri &c.

Immunitas localis, prout quest. præc. ab initio sectionis hujus jam diximus, est jus competentis Ecclesiis, aliisque locis religiosis, vi cuius actus profani, seu sæculares in iis exerceri non valent, & malefactores illuc confugiunt in vita, & membris proteguntur, ita ut inde extrahi non possint, adeoque in duobus præcipue consistit, duofque effectus parit hæc immunitas localis, videlicet. I. Quòd in locis Sacris actus profani fieri nequeant. II. Quòd illuc confugiunt malefactores, tuti sint in vita, & membris. De primo egit P. Patritius Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decalogi, cap. 10. sect. 4. §. 2. num. 28. quò Lectorem remittimus, de secundo hic agemus. Itaque fit

ASSERTIO III.

Jus, seu immunitas Asyli est jus Ecclesiis, & aliis locis piis, & auctoritate Episcopi erectis competentis, confugiuntibus ad ea malefactoribus securitatem præstantem ad hoc, quòd inde violenter extrahi non possint, nec in vita, nec in membris puniri valeant. Hoc jus competit Ecclesiis, Cemeteriis, Oratoriis etiam privatis, Monasteriis, & Conventibus religiosorum, eorumque domibus, & habitationibus, hospitalibus, nosocomiis, & omnibus locis piis, modò omnia loca præmemorata auctoritate Episcopi sint erecta: Item competit omnibus laicis Catholicis, probabiliter etiam Paganis, Judæis. Imò etiam hæreticis, si non propter crimen hæresis, sed ob aliud delictum, fugiant ad Ecclesiam: probabiliter etiam Clericis, non tamen religiosis; modò predictæ persone non commiserint delictum in Bulla Gregorii XIX. exceptum. Communissima Theologorum, & Canonistarum.

§. I. Jus, seu immunitas Asyli,

Est jure duntaxat humano Civili, & Canonico introductum, non item naturali, nec Divino. Ita Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. nu. 1. qu. 1. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 8. nu. 9. Covarruvias, Sannig, Zoefius, Engel, Pirrhing, Reiffenstuel in 3. Decret. tit. 49. nu. 21. cum communiori. Ratio primæ partis, quòd sit iuris humani civilis, & Canonici, patet ex toto titulo, præsertim leg. 2. §. 6. C. de his, qui ad Ecclesias confugiunt, &c. intra 6. de immunitate Ecclesiarum, ibi: Fugiens ad Ecclesiam, quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari ad mortem, vel ad penam, (corporalem, ut habet ibi Glossa V. Puniendus) sed rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam: super hoc tamen, quòd iniquè fecit, est aliàs legitime puniendus. Ratio secundæ partis, quòd non sit iuris naturalis, inde patet: quia jus naturale est immutabile, indispensabile, & invariabile, sed jus Asyli per Papam fuit immutatum, quoad certa crimina, & personas restrictum, ut infra patebit; fuit insuper eidem variis in locis consuetudine derogatum, teste Barbosa lib. 2. juris univers. Ecclesiast. cap. 20. num. 82. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. numer. 2. & Alii: ergo non est iuris naturalis, Ratio tertix partis, quòd non sit iuris Divini positivi, inde sumitur: Quia nulla similis Lex, aut Jus positivum, aut traditio ab Apostolis accepta extat: quamvis enim in antiquo Testamento per Legem positivam Divinam certa loca habuerint Jus Asyli, tamen hæc Lex per Legem novam expiravit, & à Christo in novo Testamento nullibi reperitur renovata: ergo

nu. 5. Similiter omnes personas Ecclesiasticas supradictas, in omnibus causis criminalibus, ac etiam civilibus plenissimum fori privilegium obtinere, ita ut coram iudice seculari conveniri, aut puniri, nullo modo possint, constat ex multis Decretis Conciliorum, & Pontificum, quæ congerit Gratianus causa 11. q. 1. & videri possunt apud Layman cit. cap. 4. §. 5. Vide etiam quæ diximus cap. præc. sect. 4. n. 433. de privilegiis Clericorum. Pariter Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum etiam propriæ, per immunitatem realem, & personalem sunt immunes, & exemptæ ab omnibus, & singulis quomodocunque nuncupatis oneribus, præstationibus, & exactionibus Dominorum laicorum, tam personalibus, quàm realibus, quæ non vi domini directi, quòd alius habet, vel vi specialis pacti, aut contractus rebus illarum inhærent. Hæc conclusio sequitur ex hæctenus dictis. Nihilominus adducam pro ejus confirmatione textum clarissimum c. 1. de immunit. Eccles. in 6. Ubi Pontifex ita statuit: Auctoritate Apostolica præhabita cum fratribus nostris diligenter deliberatione decernimus, non licere communitis, scabinis, & iis, qui in eis jurisdictionem temporalem obtinent, vel justitiam temporalem exercent, tallias, vel collectas, seu exactiones quascunque Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscunque possessionibus, ab eisdem Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis legitime hæctenus acquisitis, vel imposturam acquirendis; etiamsi ipsæ Ecclesiæ, vel persone, vel res hujusmodi sint intra illorum districtum, vel territorium constitutæ. Nec etiam liceat illis ipsas Ecclesias, vel personas ad distrabendum, vel alienandum, aut extra manum suam ponendum, acquisita jam, vel quæ deinceps acquirant, aliquatenus coardare. Quòd ulterius sanè efficacissime confirmat Urbanus VIII. Bulla, Romanus Pontifex, data 5. Junii 1641. quam vide in Bullario Cherubini tom. 4. ubi 159. constitutio Urbani VIII. est. Ex his

78 II. Insuper I. Ecclesiæ, & personas Ecclesiasticas, cunctaque earum bona esse immunes, & exemptas à tributis, oneribus, & exactionibus ordinariis Dominorum Territorialium. II. à vectigalibus, Telonii, Pedagiis, Gabellis, Accis, Germanicæ, Mauth, Boll, Eutschlag, &c. (nisi negotiationis causa res suas aliò deferant, vel deferri faciant, ex c. quamquam de censibus in 6.) III. Etiam ab exactionibus extraordinariis, quæ ob bonum commune reipublicæ in casu necessitatis communis tam Clericos, quàm Laicos tangenti imponuntur, nisi sex conditiones à SS. Canonibus requisitæ concurrant videlicet. I. ut sit utilitas, vel necessitas gravis. II. Communis tam Clericos, quàm Laicos tangens. III. Ut Laicorum facultates ad eam levandam non sufficiant. IV. Ut Episcopus cum Clero prius cognoscat, an tanta sit necessitas, ut de bonis quoque Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum succurrendum sit. V. Ut prius consulatur Papa, nisi sit periculum in mora. VI. Ut extantibus præfatis conditionibus collectæ, & onera non imponantur, nec exigantur auctoritate laicali, sed Ecclesiastica. Ita habetur c. non minus. de immunitate Eccles. c. Adversus 7. eod. tit. extravag. Quòd olim eod. ac in Bulla Cæne Domini, §. 18.

79 III. Si tamen res aliqua habet onus simpliciter & formaliter reale annexum, v. g. ex speciali pacto, vel contractu, vel si res est Emphyteutica, habeat annexum censum annuum &c. quòd onus nempe debet præstari propter rem ipsam nullo habito respectu possidentis, tunc talis res, si veniat in dominium Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ, ad eandem cum tali onere transit, & tale onus debet etiam ab Ecclesia, vel personis Ecclesiasticis præstari, & sic verum est illud: Quævis res transit cum onere suo, c. cum non sit, de decimis. Non verò transit onus personale, vel tantum materialiter reale, quòd imponitur rei ratione personæ, quatenus hæc subdita est imponenti onus, licet in impositione oneris habeatur respectus ad quantitatem, & qualitatem rei: qualia onera sunt tributa, vectigalia, &c. Dominorum laicorum.

80 IV. Si hæc ita sint; quo ergo fundamento domini laici territoriales exigunt ab Ecclesiis, Monasteriis, Clericis, eorumque bonis tributa, vectigalia, Gabellas &c. Responderet P. Reiffenstuel in libro 3. Decretalium, tit. 49. de immunitate Ecclesiarum, se planè nullum solidum scire fundamentum, aut justum titulum; quòd loc. cit. ulterius probat, & deducit: quem si placet, vide, & lege. De penis violentiarum immunitatem realem personalem, dicemus infra questione quarta.